Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1917

Quelle:
Copyright:

nuntur. 10) De Nativitate B. V. M. *Inuenta eſt in utero habens* &c. Matth. 1. *Scientes omnium ſanctorum digna preconia* &c. Inter alia de tribus Deiparae gratiis loquens ait: *Per primam fuit ab originali contagione gratioſe preſeruata, uel ſtatim poſt animationem emundata.* Duplex adeſt Sermonis hujus Exemplar, et ſecundum quidem ab alia manu praefert *ad Scotos* habitum *anno* 26. ſed *Haſelbachius* ſubjecit: *Exemplar verum eſt ſublatum et hec copia eſt incorrecta.* Rediit igitur poſtea verum Exemplar. 11) *De ſancto Colomanno. Juſtum deduxit Dominus* &c. Sap. 10. *Idcirco ad audiendas martirum chriſti victorias* &c. Referuntur varia de *Colomanni* Martyro. 12) *Collatio in licentia in facultate Medicine domini Johannis Spardoffer et Magiſtri Johannis de Muntzing* 1462. 9na *Februarii.* Subjectum: *Non fuit pronunciata ex tunc, ſed poſtea.* In margine additum: *Ex poſt pro M. Nicolao de Ratiſpona, Petro Marolt de Lakk et M. Stephano Kuelandt de Rain 9na Auguſti 1463.* Init: *Multis diſtractus negotijs quid vobis — in preſentibus Eccleſie et patriae fluctibus ſim dicturus* &c. Adumbratis temporum calamitatibus de Medicorum officiis diſſerit. Inter alia: *Cura per ſimplicia certior naturalior compendioſior facilior et vtilior et omnibus tolerabilior, et beatus qui in ea fuerit peritior. Audeo dicere, me quendam nouiſſe medicum, qui Sciaticam curauit paſſionem per ſimplex valoris obuli infra diem naturalem* &c. Thema Collationis eſt: *Videte quomodo caute ambuletis.* Epheſ. 5. 13) De omnibus SS. 1432. Sed praemittitur: *Hic ſermo dum conciperetur, interruptus eſt propter Ambaſiatam, quam facere oportuit Nomine Sacri Concilij Baſilien. ad frankfordiam et Electores Imperij concipientem.* Nihil de hac *Haſelbachii Ambaſiata Scriptt. Univ.* aut *Conſpectus Hiſt.* qui tradit, eum poſt Paſcha hujus anni Univerſitatis Oratorem *Baſileam* diſceſſiſſe. Thema Sermonis imperfecti: *Merces veſtra copioſa eſt* &c. Matth. 5. Initium: *Locuturus pauxillum de omnium ſanctorum gloria* &c. Deflectit ad neceſſariam Cleri reformationem et agenda Patribus in Concilio. 14) *Collatio de omnibus ſanctis 1440. Ad vniverſitatem Wyenn.* Thema idem. Initium: *Quia omnium ſanctorum, qui a mundi exordio* &c. 15) In Feſto Simonis et Judae App. 1433. *Baſilee. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8. Initium: *Cum innumerorum ſanctorum deo per amorem coniunctorum* &c. Tertia Propoſitio rurſus circa res Concilii verſatur. 16) De Conceptu B. M. V. Eſt ad Academ. *Vien.* ſed annus extritus. Thema: *Sanctificauit Tabernaculum ſuum* &c. Pſalm. 45. Initium: *Magne vtique et glorioſe feſtiuitatis diem* &c. Hic rurſus ut ſupra: *Virgo glorioſa ſurrexit ſuper legem fomitis et originalem videlicet culpam per ſanctificationis gratiam aut antecedenter preuenientem, aut conſequenter expulſivam.* 17)